

cantus ut versiculi, et tantummodo punctum ultimum deerat in hunc modum (120): *Et domus impleta est ex odore unguenti*. Quo defectu quid significatum credamus, sequentia manifestant. Altera die cum iterum decubaret, sic in os ejus missum est canticum novum, *Lætabitur justus in Domino* (Psal. LXXIII, 41), ut evigilans sæpius nil aliud posset cogitare. Pictavi, dum nocte sederemus, et ipse cum candela solus deambularet, extincta est candela, et abbas Chari-Loci vidit eum sine lumine ambulantem. Proinde autem cum sonitu quodam, ut ipse confessus est, candela reaccensa est, et ardentem eam usque ad nos deportavit.

3. In urbe Burdegali res facta est digna miraculo, quod obstinatissimos animos clericorum convertit, ut concederent in sede episcopali Regulares ordinari canonicos, pro qua re per septem annos excommunicati parvipendebant omnino: ita ut quinquecentum exsularet archiepiscopus, vacaret ecclesia, reditus illi violenter diriperent, et tam exosus esset omni populo archiepiscopus, ut in ingressu etiam omnibus nostris exprobrarent, dicentes, « Quoniam isti sunt de patronis archiepiscopi. » Sed mutavit animos eorum sermo Dei vivus et efficax, præter spem universorum, qui noverant negotii difficultatem et obligationes pessimas nimis. In castro quod dicitur Bragerach, allatus est ad eum vir nobilis, gravissima infirmitate laborans, et ex illa hora convaluit, ut postea didicimus. Homo civitatis illius, pauper et inops, laudat hodie nomen Domini, qui longa infirmitate fractus viribus, laborare non poterat, aut operari quidquam; sed benedicto pane vescens, cum per aliquot dies sequeretur nos, fortis et incolumis est reversus. In Caturcensi urbe quidam serviens episcopi percussus in capite, oculi unius lumen amisit: sed signante eo visum recepit. Ibidem burgensis quidam bibit aquam ab eo benedictam, et visum est ei ac si projiceretur super caput plenum vas aquæ; et ex hora convaluit a febre, qua per septem annos laboraverat.

4. Jam vero Petragorici populi devotionem quis explicet? Paulo minus suffocabant eum; adeo ut necesse habuerit clam discedere ab eis. In Tolosana urbe satis devote susceptus est; sed per paucos dies plus quam satis, et etiam plus quam nimis fuere devoti. Paucos quidem habebat civitas illa, qui hæretico faverent: de textoribus, quos Arianos ipsi nominant, nonnullos. Ex his vero qui favebant hæresi illi plurimi erant, et maximi civitatis illius. Denique non longe ante adventum nostrum unum e ditioribus civitatis illius cum uxore ejus seduxerant, ut relicta substantia sua et parvulo filio in villam secederent, quæ hæreticis plena est, et nullis deinceps propinquo persuad-

(120) In apographo quod signatur *ex ms. Marchonensi vetusto*, sequitur series punctorum; unde suspicandum aliqua esse omissa.

ationibus reduci potuerant. Vocatus est ergo Henricus, vocati sunt Ariani: et pollicitus est populus, quod nemo eos deinceps susciperet de cætero, nisi venirent et palam loquerentur. Fugas Henrici, et Arianorum latibula longum est enarrare. Fugerunt siquidem qui in civitate erant Ariani, audientes signa et mirabilia quæ fiebant. Fautores eorum abnegaverunt eos, et credimus omnino perfecte liberatam civitatem ab omni hæreticæ contagio pravitate. De militibus promissere nonnulli, quod deinceps expellerent, et non manu tenerent eos. Si qui vero cupidi fuerint, et aliter voluerint agere, hæreticorum munera diligentes, data est sententia in hæreticos et in fautores eorum, atque in omnes qui manu tenuerunt eos, ut neque in testimonio, neque in judicio suscipiantur, nemo communicet in convivio, neque in commercio. Henricum fugientem (121) secuti et persecuti sumus, sed ille eo amplius fugiebat.

5. In ipsis sane castellis quæ seduxerat, locutus est dominus Abbas, et libenter audiente populo crediderunt qui erant præordinati ad vitam. Milites quidem nonnullos invenimus obstinatos, sed non tam errore, ut nobis videtur, quam cupiditate et voluntate mala. Oderunt enim clericos; et gaudent facietis Henrici, et quia id loquitur eis unde occasionem habeant et excusationem malitiæ suæ. Omnes tamen affirmabant quod deinceps non manu tenerent eum, siquidem domini Abbatis colloquium **1194** refugisset. Data proinde sententia est in hæreticum et in fautores ejus, et patefacta est omni populo pessima ejus vita, et quomodo in Pisano concilio omnes quas nunc prædicat hæreses abjuraverit, et redditus domino Abbati, litteras acceperit ab eo in Clara-Valle, ut ibi monachus fieret. Credimus annuente Domino malitiam ejus finiendam brevi. Terra tam multiplicibus errorum doctrinis seducta, opus haberet longa prædicatione: sed dominus Abbas nec tanto labori sufficere videtur, et multo magis timet molestus esse fratribus suis; et hic est, ni fallimur, ejus quem prædicimus puncti defectus in cantu versiculi quem audivit.

6. Acceptis ergo a Clara-Valle multis hinc inde litteris, cum omni festinatione reverteretur: et credimus annuente Deo quod non longe post octavam Assumptionis beatæ Mariæ visuri sitis desiderium, merito desiderabilem virum. Utinam enim nossemus quantum et quam inestimabile donum dederit nobis Deus Patrem sanctum, advocatum fidelem, patronum potentem, pastorem bonum, plenum gratia et virtutibus coram Deo et omni sæculo! Denique quod in certis locis virtutes occultet humilitate, certis didicimus experimentis, quando per ejus discessum continuo sanabantur infirmi, uti sic esset illis bene, ut ipsum nemo magnificaret. Ubi vero

(121) Confer superiores librum tertium Vitæ, cap. 6. [

necesse fuit, maluit, ut ipse confessus est, sustinere proprium periculum, quam saluti eorum non providere.

7. Erat in ecclesia sancti Saturnini, in qua hospitabamur, canonicus quidam Regularis, Joannes nomine, peritissimus medicæ artis. Is ergo septem, ut dicebatur, mensibus decubans, a sancto Pascha ita languebat, ut quotidie solum ejus obitum expectarent Defecerat tibie ejus, ita ut nequaquam viderentur puerilibus brachiis grossiores. Specialiter sane dextri femoris nervus aruerat, ut a sancto Pascha ad modicum quidem posset extendere genu. Languebat miser semivivus, et quotidie responsum mortis habens in se ipso, et ne ad urinam quidem aut egestionem surgere omnino valebat. Ob fetorem denique et languorem extra monasterium factus, erat in burgo collocatus, non sustineatibus canonicis præsentiam ejus. Rogat ergo obnixus ut prope dominum Abbatem deferatur, et portant sex viri in grabato in cameram, quæ proxima erat hospitio nostro. Ibi visitatus a domino Abbate, confessus est ei peccata sua, et pro sua liberatione et sanitate obnixus obsecrabat. Ubi ergo benedixit ei dominus Abbas, exivit de camera, et ivimus nos quoque cum eo. Ibat autem secum cogitans et dicens tanquam servus fidelis: « En, Domine, signa quaerunt, et nihil proficimus aliter; quousque dissimulaveris? » Et continuo exiliens ille cucurrit post nos, ita ut vix ingressi essemus hospitium, quando sequentem nos vidimus, et ambulantem, ut ipse dicebat, non viribus, sed virtute divina. Exinde pergit ad ecclesiam gratias agens Deo, et fratres cantantes cum eo. « Te Deum laudamus. » Quanta devotione domini Abbatis oscularetur pedes, scire potest nemo, nisi qui vidit.

8. Puer quidam septennis, ut dicebatur, languens inter brachia matris ignorantis quænam esset passio, cum benedictus a domino Abbate reverteretur, continuo vomuit lapidem, quem multi quoque viderunt, et sanus factus est ex illa hora. In ipsa civitate hominem jam senem, qui unius oculi lumen amisit, per signum crucis illuminavit. Sic et puerum, qui utroque oculo cæcus erat, alterum vero jam majoris ætatis cæcum similiter illuminavit. Fuit in ipsa urbe mulier quædam, quæ subitum in capite dolorem sentiens dixit. « Quia non comedam donec veniam ad Virum Dei: » dehinc eum cogeret eam vir ejus ut comederet, ubi primum gustavit panem, paulo minus suffocata, et arctata gutture pervasa est a dæmonio. Exinde per triduum non poterat comedere aut bibere quidquam, donec præsentata domino Abbati, benedictum panem et aquam sumpsit de manu ejus. Præcepit deinde dominus Abbas, ut juxta nos in capella pervocaret, volens ad eam sine turba venire secretius. In nocte vero conqueri cepit vehementius, ita ut nunc quidem dæmon, nunc femina loqueretur, et modo in sinistram, **1195** modo in dexteram partem vertebatur lingua, secundum quod mutabatur loquentis persona. Di-

cebat dæmon audientibus universis qui astabant, « Quia non egrediar donec veniat Abbas, donec veniat Abbaticulus. » Admonitus interim dominus Abbas in somnis venit ad eam; et quam in tanto cruciatu invenerat, quietam omnino dimisit. Et protinus mane facto celebrans Missarum solemniam, dedit ei communionem sanctam, et incolumem remisit in domum suam.

9. Ex his qui manus habebant intortas in partem alteram, et digitos in partem replicatos, tres sanavit Tolosæ, tres in confinibus ejus. Allata est enim ad eum puella quædam dum oblationem susciperet; et signans manum, atque apprehendens digitos cum omni facilitate aperuit. Id ipsum quoque de duobus aliis fecit, nisi quod alterius, cujus erat manus contracta utraque, erubescens propter episcopos qui præsertes erant, parumper aperuit, et sic tradidit militi cuidam de Templo qui præsertens erat, ut ipse perficeret. Quartum ab hoc incommodo liberavit infantem quemdam apud Dameyseriam, vidente domino Engolismensi episcopo, et stupente quod ubi signavit manum et dimisit, ipsa quasi esset chorda quædam, in bonum statum conversa est, et digitus aperiri cœperunt. Ibidem sane in hora eadem et surdum fecit audire, et mutum loqui. Quintum manuum sanavit in castro quod dicitur Viride-Folium, ubi sedes est satanæ; et ipse pessimi, ni fallor, hæretici puer erat, Sextum sanavit in castro quod dicitur Sanctus-Paulus, quos ex servientibus domini legati remanere in terra aliena febris gravissima coegisset, nisi subvenisset eis cælestis medicina panis benedicti.

10. In Albigeni civitate factum est, quod cæteris non immerito miraculis credimus præferendum. Erat enim populus civitatis illius super omnes qui in circuitu ejus sunt, hæreticæ pravitate contaminatus, ut audivimus; ita ut domino legato, qui per biduum ante nos venerat, cum asinis et tympanis exierint obviam et cum signa pulsarent ad populum convocandum, ad Missarum solemniam celebranda, vix convenere triginta. Tertia die dominus Abbas cum multa populi lætitia susceptus est. Sed tanta mala de illis audierat, ut penitus non acceptaret devotionem eorum. Sequenti vero die, cum beati Petri solemnitas esset, tanta ad audiendum verbum Dei multitudo convenit, ut non caperet eos grandis ecclesia. Quos allocutus dominus Abbas: « Seminare, inquit, veneram, sed præoccupatum a semine pessimo agrum inveni. Verumtamen, quia rationalis est ager, Dei enim agricultura vos estis, ecce ostendo vobis semen utrumque, ut sciatis quid eligere debeatis. » Et incipiens a Sacramento altaris per singula capitula, quid hæreticus prædicaret, quæve esset fidei veritas, diligentius exponebat. Deum interrogavit eos quid eligerent: et respondens omnis populus cœpit abominari et detestari hæreticam pravitatem, et cum gaudio suscipere verbum Dei, et catholicam veritatem. « Pœnitimini, inquit, igitur quicunque contaminati estis, redite ad Eccle-

siae unitatem. Et ut sciamus quis poenitentiam agat et suscipiat verbum vitae, levate in cœlum dexteras in signum catholicæ unitatis. » Factum est ergo, ut

levantibus omnibus dexteras in cœlum cum exultatione, ipse sermoni finem imponderet. Et nos quoque epistolam terminemus (122). Valet.

LIBER SEPTIMUS

Excerptus ex libro cui titulus: *Exordium magnum Cisterciense*, distinct. 1, 2, 4, 6.

1196 CAPUT PRIMUM

De apparitione monachi defuncti et revelatione salvandorum e Clara-Valle, Bernardo facta.

1. Postquam, divina largiente gratia, vinea Domini sabaoth, Cisterciensis videlicet ecclesia, propages suas emittere cœpit, fundatis jam domibus de Firmitate, et de Pontiniaco, tertio loco in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinto decimo fundata est domus Claræ-Vallis, cui etiam beate memoriæ dominus Stephanus Cisterciensis abbas beatissimum patrem nostrum Bernardum primum ordinavit abbatem: de cujus admirabili conversatione, singulari sanctitate, speciali signorum atque virtutum prærogativa, liber licet Vitæ plenius edisserat, tamen aliqua, quæ illic prætermisita sunt, ad memoriam tanti Viri simul et ad ædificationem legentium scribere congruum puto, ne in hoc libello, qui de viris virtutum eudatur, splendidissimam columnam, cui universitas Ordinis nostri innititur, sub silentio transisse videamur.

2. Accidit aliquando in Clara-Valle, dum Missa in conventu celebraretur, eodem venerabili Patre præserte, ut, lecto Evangelio, sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset; quæ cum aliquantum diutius expectaretur, conventus interim versis vultibus ad Orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallio suo inter gradum presbyterii staret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit; et stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cœpit; quem Famulus Dei videns, agnovit, et quare caput contra se ageretur, quæsivit. Cui ille: « O si sciretis quantos et quales socios haberetis in cœlis! profecto caveretis vobis ab omni negligentia. » Quod verbum Sanctus gratanter audiens respondit: « Verene putas quod omnes qui in hoc monasterio sunt fratres, salvabuntur? » « Etiam, inquit, salvabuntur. Et non solum ipsi, sed et omnes qui in Ordine nostro (123) obedientes et humiliter fuerint conversati, salvabuntur. » Recordatus vero pius Pater cuiusdam fratris, quem pro negligentia et duritia cordis sui frequentius corripere oportebat, et ob hoc super eo multum contristabatur, subtulit dicens:

(122) In apographo not. 120 citato additur: *Apud Sanctum Anthonium sanavit puellam cujus brachium totum aridum erat.*

B « Nunquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? » Respondit: « Nec ipsi deerit misericordia Dei. » Quo auditio Vir Domini vehementer gravisus est, et tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodiebat vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat.

CAPUT II.

De quodam fratre defuncto, orationibus et Missarum oblationibus e purgatorii penis liberato.

3. Defunctus est quadam vice Conversus quidam in Clara-Valle. Cumque concurrentibus fratribus commendationis officium ex more fieret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per catervas suas incedentium, cum magni strepitus vociferatione **1197** clamare, et dicere: « Eia bene, eia modo bene! solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. » Cum vero idem senior, qui hæc audierat, per noctis quietem sopori membra dedisset, frater defunctus ei in visu apparuit tristi et lugubri vultu, dicens ad eum: « Quia audisti heri dæmones de meis suppliciis exsultantes, veni et vide, quam terribili tormento Dei omnipotentis justo iudicio traditus sum. » Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis et horrendæ profunditatis, et dixit ei: « Ecce in hunc puteum frequenter a dæmonibus mittor, quorum tanta est crudelitas, ut si optio daretur, mallet centies ab hominibus, quam semel a dæmonibus hic immergi. »

D 4. Mane autem facto, dum quæ audierat et viderat præfatus senior beato patri Bernardo retulisset, licet ipse quoque per spiritum ea cognovisset, ingemuit, et ait: « Scio quia nisi gravis causa existeret, nunquam dæmones talem ausum præsumpserunt. » Itaque capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem fratris defuncti exposuit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens, monebat ut cautius in via sanctæ religionis ambularent; multam esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, tamen præcipue contra monasticæ religionis professores, affirmans. Post hæc fratris animæ in suppliciis constitutæ subvenire eos attentius monens, psalmis et orationibus

(123) Eandem sententiam Bernardo tribuit *Herbertus* in lib. I, cap. 11.

Missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatur, si forte pius Pater pulsatus precibus eorum per salutaris hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, et ab eorum nequitiâ fratris animam dignaretur liberare. Quod cum fratres devotissime facerent, paucis evolutis diebus idem frater defunctus supradicto seniori iterato apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Querente vero sene, quomodo se haberet, respondit: « Deo grati, bene. » Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait: « Veni et vide. » Et continuo introduxit eum in oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria sacerdotes stabant, hostiæ immolationem summa devotione celebrantes. « Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum: hæc est virtus misericordiæ Dei, quæ invincibilis permanet, hæc est Hostia illa singularis, quæ totius peccata mundi tollit. Et vere dico tibi, quod his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic hostiæ salutari, non est quidquam resistere valeat, nisi cor quod impoenitens. » Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppido gavisus est: modum quoque visionis ejusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem hostiæ salutaris reddidit, quanto certius ejus efficaciam in fratris ereptione meruerant experiri.

CAPUT III.

De visione beato Bernardo oblata, quæ diversa in choro psallentium merita ipsi representabat.

C 5. Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus, ea puritate et devotione qua solebat, Deo tantum nota et sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus: et ecce respiciens vidit singulos Angelos juxta singulos monachos stantes, et quod quisque eorum psallebat, in schedulis more notariorum, tam diligenter excipientes, ut nec minimam syllabam, quantumcunque negligenter prolatam, omitterent. Scribebant vero diverso modo. Nam quidam eorum scribebant auro, alii argento, nonnulli atramento, aliqui etiam aqua, quidam vero penitus nihil scribebant. Spiritus autem qui hæc revelabat intelligentiam quoque diversitatis scripturæ cordi ejus inspirabat. Qui enim auro scribebant, ferventissimum in Dei servitio studium et absolutam cordis intentionem, in his quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen psallentium devotionem declarabant. Qui vero atramento, continuum quorundam bonæ voluntatis usum in psalmodia, licet non cum multa devotione, notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos qui somnolentia seu pigritia **1198** pressi, vel variis cogitationibus a se abducti, videntur quidem aliquid sonare, sed cor eorum longius abstractum, non concordat voci. Et, o mira Dei clementia! sicut enim nullum malum impunite, ita nullum bonum, quantumcunque modicum, quantumcunque negligenter factum, erit irremuneratum. Cæterum illi qui nil scribebant, la-

A mentabilem quorundam durezza cordis redarguebant, qui obliiti professionis suæ, timoris Dei immemores, aut lethali somno prona se voluntate immergant, aut certe vigilantes clauso ore, vanis et noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, et in conspectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimescunt. Pater itaque sanctus qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, quoniam *omnes ministrarii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. I, 14), sicut proficientium congratulabatur fervori, sic paterno pietatis affectu deficientiam miserabatur tepiditati.

CAPUT IV.

De divinis hymnis pie et devote canendis, et quam id gratum angelis.

B 6. Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, et Vir Domini cum cæteris fratribus aderat. Cumque hymnus, « Te Deum laudamus, » cantaretur, vidit sanctos Angelos multa claritate fulgentes, miram etiam vultus alacritate devotos, qui utrumque chorus percurrentes, modo hunc, modo illum excitabant; cantantibus aderant, et quasi congratulantes astabant, et ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum vere esse familiarem ipsis, quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, et sursum conscendebat.

CAPUT V.

De pusillanimitate Fratrum, notabili verbo ad fiduciam divinæ misericordiæ per beatum Bernardum erecta.

D 7. Loquente aliquando verbum Dei fratribus beato Bernardo, cum vehementer vitia corripere, terroremque tremendi iudicii Dei mentibus inculceret, sensit in spiritu quosdam de sedentibus graviter in conscientiis suis turbati, et fere in barathrum desperationis prolabi. Tunc vero spiritu fraternæ charitatis totus flammescens, mirantibus omnibus qui aderant, in hæc verba prorupit: « Quid est quod in conscientiis vestris turbamini, fratres mei? Ut quid enormitatem, et innumeratam criminum vestrorum sic intuemini, ut inexhausta viscera miserationum Domini obliviscimini? In veritate dico vobis, quod si filius ille perditionis Judas, qui vendidit et tradidit Dominum, in hac Christi schola sederet, et huic Ordini incorporatus esset, per poenitentiam veniam consequeretur. » Auditio itaque tam magnifico consolationis verbo, non solum illi qui præ pusillanimitate spiritus jam fere desperabant, sed et omnes qui aderant, in spem divinæ gratiæ respirantes Dominum glorificabant.